



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA*,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis decimâ-nonâ mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LXXXII.

M. HUGONE GAUTHIER, Consiliario Regis Medico, Doctore Medico, Præside.

An noxiæ Vulneribus Turundæ ?

I.

UT vita Hominis ab Arte & Naturâ dependet, sic ab utrâque conservatur : Cujusque suæ sunt munia sæparata vel mixta. Interdùm Natura ex se sola medicatrix, sæpiùs

* Authore M. *Jacobo Fourneau*, anno 1732.

egena, ni juvetur ab Arte. In multis ſiquidem Natura ei quod nobis emolumento eſſe queat contrarium molitur ac perficit, quoniam ipſa ſolo inſtinctu regitur; Ars verò rerum ducitur cognitione ac intelligentiâ: Ideòque Medicina plurima præſtat ſuprà vires & poteſtatem Naturæ in morborum curatione, ope Chirurgiæ, plus manu proficientis quàm medicamento.

I I.

EST autem Chirurgia antiquiſſima Medicinæ miniſtra, atque conſiſtit in duobus, inſtauratione & detractione. Ad inſtaurationem pertinet deligatio, ſpleniorum & fulcimentorum uſus, ſutura & fibularum impoſitio. Ad detractionem refertur tractio, propulſio, avulſio, divulſio, ſolutio etiam continui quæ fit in parte durâ, vel molli, vel utrâque. In molli ſectio, punctio; in durâ ſerratio, limatio, rasio & perforatio; in utrâque uſtio & exſciſio. Hujus Chirurgiæ apprimè peritum decet eſſe Medicum, operationem miniſtris relinquere, qui magiſterio Medici dirigantur. Chirurgus verò ſit juvenis, Caſtra ſequatur & Noſocomia frequentet, ut Vulnerum diſcrimina cognoſcat.

I I I.

QUAMVIS enim Vulnerum curandorum indicationes ſint conſimiles, unionis ſolutionem reſarcire, ſublatâ inflammatione per venæ ſectionem & refrigerantia, ſaniei deterſione & Carnis reparatione per exſiccantia & detergentia. Attamen pro variâ partis naturâ, & rei lædentis

qualitate aliter tractantur Vulnera. Si Capiti Vulnus inflictum, etiam leve non negligendum, cui medetur sanguinis detractio, liberalior si fuerit os læsum, quod Trepano exscindetur. Pectoris Vulnera penetrantia, etiam perfossis Pulmonibus, non semper lethalia, uberiore & repetitâ sanguinis detractione sanantur: Proindè in magnis Vulneribus corpus inediâ macerabis & exangue reddes. Ratione rei lædentis, sive contundentis, sive venenatæ aliter percurantur Vulnera, qualia sunt à sclopetis. Sed omnia rarò solvenda atque medicanda, & nisi profundè sinuosa sint aut complicata, non adhibeantur Turundæ.

I V.

EX multiplici Lineamentorum genere quod in tractandis Vulneribus usurpatur, aliud est externum, quod Plumaceolus vulgò dicitur, aliud internum, Turunda dictum. De postremo tantùm inquiritur, cujus apud Veteres plurimæ sunt differentiæ, quibus indita sunt nomina à formis & figuris quibus effinguntur, vel à materiâ ex quâ conflantur, cujus modi sunt Linteum, Ellychnium, aut Suber, Spongia, radix Gentianæ, Argentum, Plumbum, Stannum, ex quibus efformantur canaliculi, ad implendas Turundarum vices.

V.

INDUNTUR Vulneribus Turundæ ut aperiant & dilatent ad egressum puris, vel alieni corporis extractionem. Sed quantùm officiunt curationi vulnerum indè

ſiquet, quòd vulnera, ſi recentia, ſunt dolorifica, ideòque non irritanda metu fluxionis Turundarum intruſione, quas Natura Vulnerum medicatrix nititur ſemper excutere ; ſi vetuſta, non egent Turundis, quæ coalitum impediunt conſervantque ulcera. Deindè Puris continuum effluvium ſiſtunt, cujus morâ & putredine magis effodiuntur & excavantur ulcera, atque ferina fiunt.

Ergò noxiæ ſunt Vulneribus Turundæ.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Eduardus-Franciſcus-Maria BOSQUILLON, *Eques, rei Herbariæ Profeſſor, è Societate Medicâ Edimburgenſi, Profeſſor & Cenſor Regius.*

M. Joannes-Jacobus PAULET.

M. Marinus-Jacobus-Clarus ROBERT, *S. Ducis Bipontini, dum viveret, Archiater, necnon à Conſiliis & Secretis.*

M. Ludovicus-Carolus-Henricus MAQUART.

M. Sanctus-Ludovicus GUINDANT, *è Regiâ Scientiarum Academiâ Monſpelienſi.*

M. Maximilian.-Joſephus LEYS.

M. Joannes-Franciſcus-Jacobus ROUSSILLE DE CHAMSERU.

M. Claudius-Antonius CAILLE, *è Societate Medicâ Edimburgenſi.*

M. Joannes DESCEMET, *Cenſor Regius.*

Proponebat Pariſiis JOANNES-NICOLAUS CORVISART-DESMARETS, Rhemenſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus. A. R. S. H. 1782. AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Tipographi. 1782.